

**Memoria Viri Summe Venerabilis Ioannis Georgii Knappii SS. Scripturarvm  
Doctoris ... Die XXX. Iulii A. MDCCLXXI Placide Defuncti Commendata**

Halae Magdeburgicae: Literis Orphanotropei Glavchensis, [1771]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1748209981>

Druck Freier  Zugang



Johann Georg  
Knapp.

1771

z II

1880/30



Landesbibliothek  
Mecklenburg-Vorpommern  
Günther Uecker

[http://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn1748209981/phys\\_0001](http://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn1748209981/phys_0001)

DFG

1887:492.

F. Z. II  
1880/30





MEMORIA  
VIRI  
SUMME VENERABILIS  
IOANNIS GEORGII  
KNAPPII

SS. SCRIPTVRARVM DOCTORIS  
THEOLOGIAE PROFESSORIS ORDINARI  
ET FACVLTATIS THEOLOGICAE SENIORIS  
PAEDAGOGII REGII ET ORPHANOTROPHEI  
GLAVCHENSIS AD HALAM  
DIRECTORIS

DIE XXX. IVLII A. MDCCLXXI

PLACIDE DEFVNCTI

COMMENDATA

A

PRORECTORE. DIRECTORE.  
ET SENATV ACADEMIAE  
HALENSIS.

---

HALAE MAGDEBVRGICAE  
LITERIS ORPHANOTROPHEI GLAVCHENSIS.



M E M O R I A  
V I R I  
S V N I E V I T E A B I L I S  
J O H A N N I S G E O R G I I  
K N I A P I I

1728  
D O C T O R I S  
T H E O L O G I C E P R O F E S S O R I A L I  
E T P A S T O R I S T H E O L O G I C E T E R T I I  
P A R T I C I P A N T I S I N G I M M A N O U E L  
G R A V E N S I S A N H A L L E  
D I E 1 7 2 8  
D I E 1 7 2 8  
P L A T I D E D E T A M C I T I

P R O F E C T O R E D I R E C T O R I  
E T S E N A T V A C A D E M I A E  
H A L E N S I S

H A L E M A G D E B U R G I C A E  
C I T I E R I S G R A V A N O T O R I E G R A V E N S I S



Qui nuper luctuosus nobis atque acerbus bonis omnibus cecidit obitus IOANNIS GEORGII KNAPPPII, Theologi primarii, haud scimus an in primis lugendus sit hoc nomine, quod academiam nostram, quae fuerat quasi virtutis illius theatrum, orbatam videmus perfecto sanctitatis exemplo. Sunt profecto academiae hoc constitutae consilio, ut non modo doctrinae essent, sed etiam virtutis quaedam seminaria, ut studiosi adolescentes, qui sunt maxime ii, in quibus olim nitatur rei publicae salus, et sapientiae praeceptis imbuerentur, et iis animos componere discerent, propter ea

A 2

que



que non solum scientia auferentur, sed etiam exemplis. Neque enim audiendi sunt qui putant, aut sic agunt certe ut videantur putare, doctrinam esse aliquid ad quod omnia referenda sint, illud autem nusquam; cum nihil sit expetendum aut laudabile per se, nisi recte referatur ad bene beateque viuendum. Doctrina, etsi res magna sit minimeque contemnenda, carere tamen aliquis potest, et fuerunt omni tempore, qui doctrinae copia destituti res magnas gererent optimeque mererentur de genere humano, sed virtute carere nemo potest. Quare diligenter ac mature adsuofaciendi sunt adolescentes, praesertim disciplina academica subigendi, ut non modo verum videre discant et amplecti, sed, quod longe maius est, etiam amare virtutem, omnibusque studiis contendere ut et ipsi sapiant et aliis aliquando sua sapientia provideant.

Enimvero, ut ista seuera lege doctrinae et virtutis proficiant academici adolescentes, verbis dici non potest quantam vim habeat Doctoris fideliter praeuentis exemplum. Namque ad academiam accedunt tempore eo, quo et coeperint aliquo virtutis gustu moueri, omninoque ad magna, praeclara, laudabilia surgere, et ita teneros tamen habent et quasi molles animos, ut in vtramque partem flecti facillime possint. Sunt autem ista aetate animi adolescentium ita e temeritate puerili ac virili grauitate mixti, ut, cum ille tumor puerilis leuitatis aliquantum resederit, incipiant maturefcere quasi; quo fit, ut, quem ad modum ingenium, sic etiam mores illam stabilitatem induant, quae in omnes actiones effunditur, efficitque ut, quales isto tempore facti fuerint, iidem sint fere semper, eundemque quasi

quasi characterem per omnem vitam tueantur. Ad academiam igitur delati, tanquam ad mercaturam omnium bonarum artium, maximaque persuasione occupati, esse doctores eos, a quibus maxime petant sapientiae fructus ad vniuersam vitam profuturos, et quorum quisque in suo studiorum genere regnet, facile vident quam illi multa noua nec istis ante audita promant, quam imbuant discendi cupidos praeceptis institutisque salutaribus, quam latum campum laudabilium studiorum aperiant, in quo iactare se sitientes animi possint. Qua re efficitur ea admiratio, is amor erga magistros, ut, quoniam iis omnem sapientiam suam debere videntur, intuentes illam perfectae sapientiae speciem, in eaque defixi, paullatim incipiunt sese ad omnem eorum doctrinam, ad mores, ad sensum denique ipsum accommodare. Qua cupiditate doctor ut videt adolescentium animos ardentis, si suasionem doctrinae in primisque virtutis, quae est, ipsa natura sua, doctrina multo amabilior, magis inflammauerit illa studia, eaque adiuuerit ipso exemplo suo, cuius est longe potentior quam vnius doctrinae vis, omninoque si discipulis inspirauerit illum calidum amorem virtutum, illum generosum pietatis sensum, quem ipsi omnibus vitae actionibus expriment, in aliosque transfundant: quam felici contagione inficiet discipulos? quam utilis rei publicae et generi humano vniuerso putabitur?

Huius generis fuit KNAPPPIUS quondam noster, vir ita rarae et eminentis sanctitatis, ut, quantum in hac imbecillitate humana fieri potest, parum ab absoluta et perfecta Christianae virtutis forma abfuisse videatur. Cuius imaginem uti-

nam sic liceret describere, ut, qualis in omni virtutum genere fuerit, quoque modo ac via, quibusque exercitationibus, ad illam magnitudinem peruenerit, non modo intelligeretur, sed etiam haberent omnes, praesertim literarum studiosi, quo et incenderentur ad illius similitudinem, et discerent ad illam Christianae disciplinae speciem animum moresque imitando dirigere! Sed satis habebimus Viri quandam veluti imaginem utcunque adumbrasse.

Natus erat Oeringae Francorum ad d. 27. Decembr. anno huius ipsius seculi quinto, patre GEORGIO DAUIDE, in Hohenloici fisci communis procuratione Consiliario et nosocomii Oeringensis Curatore; matre SUSANNA ELISABETHA, FRIDERICI APINI, sacerdotis Oeringensis, filia; quorum parentum saepe laudabat accuratam et diligentem in educando, inprimisque ad pietatem conformando animo, disciplinam, qua sic profecit in virtute, ut, cum missus esset in academiam Altorfinam, post etiam A. MDCCXXIII. in Ienensem, nobilis inter aequales ferretur, nec in illa, quae tum regnabat, morum petulantia quisquam, cum semel tentasset eum, auderet eius mores suadendo minandoue corrumpere. Saepe narrare solebat, cum academiae Ienensi nomen dedisset suum atque albo academico inscriberetur, tanta cum grauitate et religione iurandi verba praeiuisse BRUCKNERUM, celeberrimum Ictum, ut vehementer animo commotus firmiter constituerit apud se, nullis cedere illecebris, quibus iuuenilis aetas, praesertim in academiis, sollicitatur, sed ad religiosam doctrinam omnia studia referre; idcirco se aiebat semper repudiasse prauorum in-  
vita-

vitationem his fere verbis: Libenter se iis gratificaturum si de  
 literarum studiis ageretur, hac enim de causa se ad academiam  
 accessisse, de ceteris se nihil cessurum; quo generoso animo  
 sic omnes impetus repulit, ut posthaec nunquam vexarent et  
 vero etiam essent qui profiterentur se valde dolere quod ne-  
 glexissent eius prudentiam in contemnendis illecebris imitari.  
 Continentiae eius hoc potest exemplo esse. Cum Ienae haere-  
 ret, essetque, retardata pecunia, qua sustentaretur, in eas an-  
 gustias coniectus, ut vivere non posset, nisi nomen contrahe-  
 ret; ne cui molestus esset aut se in eas difficultates indueret,  
 quibus semel admissis semper solent magis tristitia, ipsorum  
 etiam non raro morum perversitas, sequi, statim, ut vidit rei  
 diminutionem, consilium cepit abdicandae mensae lautioris,  
 quotidieque (sic narrabat) cum rediisset e scholis, emto apud  
 pistorem pane, atque vrbe egressus, resedit ad riuulum, aequif-  
 simoque animo prandium confecit, hausto ex aquis praeter-  
 fluentibus potu; sic aliquot hebdomadibus post, restitutis re-  
 bus suis, rediit ad pristinum ordinem. In literarum disciplinis  
 maxime sequebatur BUDDEUM, e cuius, ut in academia Altor-  
 fina e ZELTNERI, doctrina et sermonibus se saepe profiteba-  
 tur quam plurimum profecisse. Vno et sesqui anno post al-  
 lectus fama sanctitatis et frugiferae disciplinae eorum qui tum  
 apud nos Theologiam profitebantur, ad quos confluebant qui-  
 cunque Theologiae religiosae, eiusque ad peccatus formandum  
 emendandamque vitam magis quam ad ingenium acuendum ac-  
 commodatae rationem imbibere cuperent, contulit se Halam  
 atque ibi non modo diligentem operam dedit literarum studiis  
 sed mox etiam incitatus a Directoribus orphanotropei Glau-  
 chensis,

chenfis, qui eius ingenium, doctrinam et feuerum virtutis studium cognoscere et amare coeperant, instituit doctrinae fructus proferre, fuitque A. MDCCXXVIII. cooptatus in collegium eorum qui iuuentutem in Paedagogio regio docerent. Eius autem ratio docendi omninoque disciplina vniuerfa sic fuit conspicua, vt et multi iique magni viri, qui ex ista disciplina prodiissent, cum accessissent ad rem publicam administrandam, semper seruarint gratam meritorum eius memoriam atque etiam honorificentissimis literis eam ornarint, in quibus est illustrissimus SALDERIUS, qui hodie dignitatem legati CATHARINAE M., Russorum Augustae, ad rem publicam Poloniae, summa cum laude tuetur, multi etiam alii clari et nobiles viri, qui vel tum in Paedagogio regio Halensi vel post Berolini in cohorte regia iuuentutis ordinis equestris eius disciplina sunt vsi. Erat enim, post quatuor exactos in Paedagogio annos, euocatus a FRIDERICO GVILIELMO, Borussiae rege, Berolinum, vt ibi illi nobilium adolescentium cohorti esset a sacris; sed non ferentes eius desiderium Theologi Halenses, ita rogarunt Regem, vt mense Octobris A. XXXIII. clementer annueret illis expetentibus KNAPPIUM nostrum qui ordini Theologico adiungeretur. Ab hoc tempore prorsus se dedit academiae, non neglecta tamen cura Orphanotropei et Paedagogii regii, in quo et ipse tirocinia docendi posuerat et socios habebat studiis propagandarum literarum et pietatis coniunctissimos. Nam etsi ei A. XXXVII. attributa fuerat professio Theologiae extraordinaria, itemque ordinaria duobus annis post, visum est tamen Regi, qui eius fidem et incredibilem adolescentes in primis sensu pietatis imbuendi ardorem nuper  
coram

coram ipse cognouerat, ei cum Professoris ordinarii munere confirmare curam vtriusque collegii, cui iam, concedente Rege, ante annum praefectus fuerat et nomine Condirectoris ornatus. Accessit ad illa munerum ornamenta honor Doctoris Theologiae, quem accepit eodem ipso anno, quo ordinarium in Collegio Theologorum locum obtinuerat; et erat in eum post FRANCKII obitum A. LXVIII. collatum ipsius Directoris institutorum Glauchensium munus, itemque ei a sanctiore Senatu terrarum Magdeburgicarum destinatus locus Inspectoris primae dioeceseos circuli Salani. Sed vix rumor de hoc postremo consilio percrebuerat, cum studiosissime deprecando impediret, ne sibi talis honor decerneretur; quem etsi potuit defugere metu aliquo molestiarum, etiam inimicarum ceteris laborum officii, praesertim ingrauescente aetate, tamen haud scimus an magis modestia eum ad illa amolienda induxerit.

Erat enim haec virtus in eo tanta, vt vere dicere possimus, etsi cognouerimus multorum integritatem atque probauerimus, vix tamen nos quemquam vidisse, in quo non desideraretur ex hac parte Christianae puritatis aliquid, quoties cum singulari huius modestia conferretur. Numquam se anteponebat aliis, nec vllum vitium magis detestabatur, vel dolebat magis etiam in iis qui se Christi discipulos profiterentur, solebatque suos identidem admonere, ne sibi placerent aut de se praeclare sentirent ipsi, cum vsus doceat, quam haec opinio vel optimum quemque egerit transuersum, optimaque consilia peruerterit. Non sermonibus vulgi se dabat; priuatis magis officii et pietatis fructu florere cupiebat quam amplitudi-

B

nis;

nis; honores publicos petierat numquam; quos consecutus erat, susceperat omnes adhortantibus iis, quorum consiliis repugnare nefas putarat, ut facile appareret eum non sui causa suscepisse honores, sed ut maiorem haberet opportunitatem bene de quam plurimis merendi. Ingenii monumenta prodere non curavit, ne quidquam fere scripsit nisi per occasionem, cum vel muneris ratio postularet, vel essent qui in disputationibus habendis praesidium rogarent; maluitque fideliter docendo et consulendo prodesse quam nominis immortalitati scribendo consulere. Dissidentes a sua ratione aut popularibus sententiis, etiam in disciplinis Theologicis, vix quisquam eo moderatius tulerit, non sic ut veritatem proderet aut nihil commoueretur, si quis videretur vim veritati, praesertim diuinae, adulterando inferre, sed ut primum interpretationis aequitate controuersias componere tentaret, doceretque, si fieri posset, dissensum magis videri quam esse, aut non esse tanti ut ferri non deberet qui vellet suo sensu abundare, deinde ut in rebus non attingentibus religionis summam, interposito iudicio suo, pateretur sententiarum diuortia esse, ubi denique ipsa causa fidei aut pietatis Christianae videbatur in discrimen adducta, ut grauius conuelleret quidem, sed dolendo magis quam acriter obiurgando, neminemque nominatim aut per cuniculos laceffendo, omninoque animo ab odio et acerbitate aduersus errorum auctores alienissimo. Cum sibi necesse videbatur, impedire etiam scriptis, ne errores, quos putabat, latius serperent aut iuuenum animos contaminarent, infinitam tractabat quaestionem, ut vix agnosceretur qui occasionem disputationi dedisset. In consiliis conferendis satis habebat dixisse quae sentiret, adiectis etiam ratio-

rationibus cur ita decerneret, ceterum nec pertinaciter instabat et refelli aut deferi sine iracundia paratus erat. Neque vero in hac tanta lenitate obsequebatur alicui naturae suae vitio, (cuius nominis invidia multi sunt qui istum sensum traducant); fuerat enim noster aetate ea, quae natura feruentior est, haud paullo acerbior, ut qui in erroribus vitiisque redarguendis, verbis quidem certe, tantum non videretur modum excessisse; inductione animi parata erat haec virtus atque seueri exercitatione, qua, deterfa naturae acrimonia, se adsuefecerat sapientiae caelesti, quae, auctore Iacobo (c. III, 17), *pura est ab animi perturbationibus, pacifica, aequa, lenis, amoris et bonae frugis plena, ab omni partium studio et simulatione seiuncta.*

Accedebat admirabilis quaedam prudentia, quae tum cernebatur in primis, cum vel suo vel publico nomine de caussis grauioribus et scrupulis, super eo quod officii esset, obiectis responderet, vel cum collegis laborumque fociis de communi salute deliberaret, vel eos adhortaretur qui eum de animis moribusque recte regendis consulissent, aut certe admonendi esse viderentur. Neque enim quemquam adolescentium a se non admonitum dimittebat, habebatque semper in promptu quod ad cuiusuis mores et studia accommodate, ad virtutem incendendam alendamque proferret, ut, si quis vellet quidem ipse, nemo ab eo nisi melior rediret. Apparebat in viro adspetus et frons blanda cum grauitate quadam, qua adiuuabat orationis sapientiam, sibi que, etiam cum obiurgaret, conciliabat omnium animos; ea autem cum seueritate condita suauitas sermonum, ut in sui admirationem et vero etiam imitationem



raperet vel inuitos, acerrimusque pietatis sensus et amor integerrimus omnium facile agnosceretur. Vbi delata fuerant ad eum quae quoque modo alicuius siue animum suspectum redderent siue mores, non protinus narrantibus adhibuit fidem, sed nec abiecit ea temere, ratus in his esse, quae salubriter adhiberi possent ad cauendum ne quid in posterum fieret, aut muniendos alios contra ea quae imminerent. Quam ob rem, cum data esset occasio colloquendi cum his quos fama suspectos ferret, si familiares essent, libere, sed peramanter, proferbat quae audiuisset, de quibus vbi se ei probabiliter purgassent, admonebat vt sibi eo cauerent studiosius quo et retunderent suspiciosorum rumores et praeuerterent; de ceteris ita dirigebat sermonem, vt, si sibi conscii essent facinoris, facile ab eo dicta vniuersae ad se transferre possent, omninoque sic temperabat verba, vt nemo se laesum agnosceret aut proditorem vlcisceretur. Cum ipse iniuria esset affectus, sepeliebat dolorem, plerumque ne apud familiares quidem conquestus, iniuriamque obliuisci malebat quam vlcisci aut defendere sese; sic enim sentiebat fatius esse errorem recte faciendo frangere quam in maleuolorum iniquitate corrigenda operam perdere.

Nempe habebat graue et paratum sibi praesidium, erectissimi animi conscientia ac vita ita innocenti et conspicua, vt neminem confidamus fore, qui eum cognouerit, quin vitam eius verae virtutis theatrum et viam Christi disciplinam fuisse profiteatur. Nihil in verbis factisue ficti habebat, nihil adumbratae virtutis; integra erant omnia, et a peccatore vnice ducta. Erat autem pectus plenum acerrimae pietatis

tatis in Deum, cui vni se probari volebat; hominibus placere, nisi recte factis, non curabat. Strepitum sanctitatis et pompam vsque eo oderat, vt, quamquam semper habebat mentem in Deo defixam, numquam proderet studium alios sensu quodam pietatis imbuendi, nisi vel data priuatim aliquem admonendi opportunitate, vel in locis iis vbi eius generis oratio expectaretur, vt in concionibus ad populum, in lectionibus, inter eos quoque, quos sciret cupidos esse suauitatis piorum colloquiorum; alias studiose ac diligenter videbatur cauere, ne quid excideret quod ostentationis significationem vel vmbra haberet. Sensum rerum diuinarum apud se aluerat perenni et religiosa lectione sacrarum scripturarum aliorumque de rebus diuinis librorum, in quibus maximi faciebat scriptos superiori aetate a Theologis Halensibus, e quibus, quo diligentius legeret, hoc se maiorem aiebat voluptatem et fructum capere. Quae legerat aut commentatus fuerat omnia referebat ad preces, in quibus incredibilis erat diuini hominis vis; neque se ipse suauius unquam recreatum confirmabat, quam cum quidquid in pectore esset, effudisset apud Deum. Cum res siue publicae siue priuatae aliquoties magnum in discrimen adductae viderentur, quaerentque ex eo familiares, qui scirent, quam acri, et si tacito, sensu, praesertim publicorum dolorum, moueretur, quidni desperatam rem putaret? tum hilari vultu: *Bene habet*, inquit, *apud Deum omnia deposui, nunc quid metuam nihil habeo*. Ab hac re haud scimus an venerit Viri tranquillitas singularis, quam ipse vultus et frons, tamquam animi index, prae se ferebat, et illa aequabilitas in omni vita. Numquam eum quisquam vel familiarium lamentantem aut querentem audiuit; si quid

accidisset, non modo moderate ferebat sed laetus etiam et agens gratias, vt qui existimaret nihil optabilius esse hac rerum aduersarum disciplina, qua Deus efficeret vt et se quisque cognosceret accuratius et, alienatus a rerum humanarum vanitate, a Deo vnice pendere disceret. Aliquando vbi in fermone familiari mentio esset facta Viri honestissimi atque probi, qui de summo dignitatis gradu, incertum quibus de caussis? deiectus esset, percontatus de Viri innocentia: *Facile, inquit, credo ei iniuriam esse factam, sed vehementer doleo id quidem, quod nullam significationem dederit se se potenti Dei manui summississe!* Ex hoc dicto intelligi potest, quo modo res aduersas, etiam vbi nulla nostra culpa obuenerint, vsurpandas putarit.

Sed quanto superior erat virtute, tanto se gerebat summissius, eratque sui ipsius seuerissimus iudex. Neque ferre poterat sententias eorum, qui residentem in animis humanis prauitatem extenuarent, nec se satis aiebat mirari posse, quid sit quod, quales sibi ipsi aliisque facerent insidias, non animadverterent, cum vsus et sensus ipse quemque docere possit, quam sit hæc ipsa persuasio inimica virtuti, quamque nulla sit vel optimi cuiusque virtus, vbi ad rationes Dei exigeretur. Atque quo minus praefideret sibi, hoc maiori pietate proferebatur Evangelium Iesu Christi, tamquam optimam non modo bene viuendi, sed multo et magis etiam bene sperandi disciplinam. Ab hac consolatione qui seiunctam virtutem profiteretur, eius non dubitabat vanissimam et a stultissima superbia verius quam ab animo integro et simplici ductam religionem pronunciare.

De

De munere publico, nulla pars fuit quam non illustrarit virtute sua. Scholas academicas quo minus vno tempore multas instituit, non sua culpa sed propter multiplicis muneris amplitudinem, hoc religiosius non modo continuauit, sed dedit operam quoque vt plurimum prodesse. Genus docendi non tam plenum erat artis, nec compressione rerum breue et adstrictum, quam redundans, et liberius, et populari assensionis accommodatum, siue id ab aliqua ingenii vbertate venerit, siue a studio omnia transferendi ad mores et adsuefaciendi adolescentes ad popularem dicendi rationem. Etsi enim non improbat profusus scholasticas argutias, tamen nec rursus magni faciebat; itaque a reconditis abstrusisque rebus ad populares solebat orationem traducere. Cumque valeret hortando, atque sic animum induxisset vt crederet, omnem Theologiae disciplinam, qua iuuenes ad religionem salubriter propagandam finguntur, a petore duci eoque vicissim referri debere, libenter digrediebatur ad praecepta de moribus, atque sic temperabat orationem, vt, traditis iis quae maxime rem continebant, ad pietatem commendandam omnia conuerteret, dictisque omnibus, quoad licebat, adspargeret quae aculeos relinquerent in animis discipulorum. Amantior erat in sententiis vetustatis quam nouitatis, non sic vt repudiaret quidquam, quia nouum esset, nam et ipse, quamquam raro ac moderate, innouabat, praesertim in interpretando, et facile amplectebatur, si quos nostrorum hominum vetera meliora fecisse appareret; sed vbi vetera decreta probabilia videbantur atque in primis ad summam doctrinae Christianae confirmandam profutura, contrarias sententias non satis explorate perceptas negabat proferri debere,

debere; nihil enim dicitabat fallacius esse nouitatis illecebris, verendumque esse, ne sublatis iis, quae diligenti inuestigatione spectata viderentur & quasi ipsa vetustate probata, temere siue incerta siue falsa substituerentur. Omnino omnia accommodare consueuerat ad librorum diuinorum oracula, quibus fere solis utebatur in confirmanda doctrina; illa et verbis diligenter commendabat et exemplo; nec religiose quemquam putabat tractaturum esse Theologiam, nisi qui religiosa diligentia operam dedisset diuini voluminis interpretationi. Cursorias propter ea lectiones vehementer commendabat, quibus efficeretur, vt totius scripturae argumentum breui imbiberent tiro-nes, cui bene percepto facile cetera superstuerent, praesertim in tanta temporis breuitate qua studia academica plerorumque circumscripta solent esse. Itaque ipse tales scholas instituerat in omnes Veteris Test. libros, quos vna continuatione binis per diem horis explicaret; qua ratione sic profecit vt, seiunctis iis quae repeti non esset necesse, vertente anno omne hoc corpus absolutum esset, et, qui audiuerant, agnoscerent sibi hoc institutum ad intelligendum vehementer profuisse.

Orphanotropheum rexit vt pater bonus, vt fidelis tutor. Quod vt posset, nihil se incio fieri, omnes curas ad se referri, neminem vel infimum a suo aditu vel consilio excludi. Pacem cum omnibus coluit, salutem publicam per speciem humanitatis nunquam prodidit, de suo iure facile decessit, institutorum amicos studio retinuit, inimicos beniuolentia deuinxit, contumaces sapienti lenitate repressit, cuiusque sibi subditorum curam ita suscepit, vt suam rem non diligentius agere potuisse  
vide-

videretur. His rebus effecit, vt, in tanta curarum vi voluntatumque varietate, omnium sine offensione retineret beniuolentiam, difficileque esset intellectu vtrum eum magis quisque vereretur quam amaret. Et quanquam satis probabilem habebat opportunitatem suis et familiae commodis prouidendi; vsque adeo studiosus temperantiae fuit, vt non modo nullum cupiditatis vestigium appareret, sed ne iis quidem rebus vteretur, quibus iure quodam suo posset. Qua re non minus magnam sibi, etiam apud externos, auctoritatem conciliauit, quam diligentia in omni genere officiorum. Quam singulari cura et religione prospexerit, ne propagatio Euangelii inter deorum cultores in vtraque India aliquid detrimenti caperet sed etiam incrementi plurimum, e commentariis quodam modo perspicui potest, quos de istius salutaris instituti progressionibus scripsit; quanquam viri modestia multa praetermisit, quae si in vulgus emanarent, longe etiam magis eius optime merendi studium cognosceretur.

Virtutes priuatae quae fuerint, si post haec quae diximus, copiose explicare institueremus, iniuriam videremur facere lectorum iudiciis. In victu tenuissimus erat; vino prorsus abstinebat, negans se eo sine valetudinis incommoditate vsurum; neque conuiuia neque colloquia, nisi officii causa; obibat; praeterquam quod aditum ad se omnibus faceret aut sibi familiares inter ambulandum adiungeret, paene solus vivebat, acquiescens, cum a curis studiisque vacuus esset, in sermonibus lectissimae conjugis, IOANNAE CHRISTINAE

C

CHRI-

CHRISTIANI OTTONIS WEINSCHENCKII, apud Magdeburgenses fidelissimi quondam Pastoris, filiae, sanctitate et sexus sui decoribus ornatissimae, grauius nunc e mariti obitu afflictæ, quacum, a d. III. Octobr. A. MDCCXLVIII., annos viginti tres coniunctissime vixit; e qua A. MDCCCLIII. suscepit unicum filium GEORGIUM CHRISTIANUM, quem in literarum studiis feliciter adolescentem praeclari patris simillimum esse verissime optamus. Omni autem modo noster ille, quoad per officia licebat, se cupiebat a negotiorum humanorum strepitu auocare, animum colligere, seque ad aeternam beatissimamque tranquillitatem componere. Itaque, cum omnis eius vita quasi esset perpetua aeternitatis commentatio, nec mors eum non opinantem vel imparatum vel trepidantem oppressit. Ut superiori vere prima vis morbi fatalis erupisset, et, post breue interuallum, ita fractæ vires essent, ut totum corpus lenta febre contabescere videretur: incredibili animi tranquillitate omnem hunc impetum tulit, et, quasi augurium denuntiatae salutis capiens, omnem mentem omnesque sermones ad hanc vnam rem conuertit. Cum paucis ante obitum diebus ad corpus animumque reficiendum curru cum coniuge veheretur, interrogatus ab ea, quam silentii diuturnitas perturbauerat: quid esset quod se tali silentio contineret? *Acquiescit animus meus, inquit, in Domino; hoc tu age quoque, carissima!* Appropinquante morte, cum illa ei recitaret pulcherrimum illud Dauidis: *Iehoua est pastor meus, nil mihi deerit, venissetque ad illa: Licet per atram vallem ingrediar, et quaereret: num illum bonum pastorem et Dominum iam nunc sibi* prae-

praesentem sentiret: tum ille mirabili vultus hilaritate: *Euge!*  
*quidni sentiam?* inquit, atque ita obdormiuit.

De morbi ratione BOEHMERUS, e Collegio nostro nobilissimus atque celeberrimus medicus, verumque sui ordinis decus, cuius cauta scientia et fideli consilio noster utebatur, optime narrabit, eum igitur audiemus.

„ Laboribus, munere oneroso, senilibus annorum molestiis,  
„ mille curis confectus et publica sollicitudine eneruatus  
„ Venerandus KNAPPIUS noster, Calendis Martii pri-  
„ mum torminosis quibusdam ventris afflictionibus tur-  
„ bisque circa venam portarum correptus fuit, quae ta-  
„ men, subsequuto fluxu haemorrhoidali, ex parte sol-  
„ uebantur. Has paulo post excepit febris, quae typum  
„ catarrhalis benignae seruans, tertio quidem septenario  
„ terminabatur, ast ob summam virium iacturam, adpe-  
„ titus defectum et internam resolutionem in lentam trans-  
„ ire videbatur. Interea, quae Dei gratia fuit, factum,  
„ vt redeunte, quamuis lento gradu, corporis, alias ve-  
„ geti et praeter aetatem robusti, vigore, vires rursus  
„ quodammodo collegerit Senex noster. Hanc ob caus-  
„ sam robur corpori addere tentauit motu, quo per to-  
„ tam vitam sanitatem tuebatur, immo ad aestiuas, de-  
„ nuo inchoandas, festinauit praelectiones academicas,  
„ quas triginta annorum spatio, nullo monente, ea sem-  
„ per instituit et prosequutus est fidelitate, vt diem sibi

C 2

„peri-



„ periisse crediderit, si quando officii huius debitum causa  
 „ fontica, vel necessaria remora interpellasset. Spem tamen  
 „ nostram de superato penitus diro morbo conceptam illudit  
 „ euentus. Vix enim praeteriit mensis, cum in Viro in-  
 „ comparabili, quem nunquam sicis oculis nominamus,  
 „ senilem nutritionis defectum et incipiens rursus virium  
 „ decrementum conspiceremus, eundemque ob maturam  
 „ senectutem, quae, teste CELSO, longis morbis magis  
 „ patet, *marasmo*, vt vocant, *senili* confici obseruaremus.  
 „ Aderat nimirum fibrarum nutriendarum rigiditas, quae  
 „ ob densitatem et vim infirmatam particulas nouas assu-  
 „ mere recusabat; tabes in intimis haerebat penetralibus  
 „ febrisque tacita cum tumoribus pedum oedematosis sta-  
 „ tum indicabat determinatum et conclamatum. Ardua  
 „ res quum a primo iam morbi initio videretur Medico  
 „ Orphanotrophei et Paedagogii Regii Ordinario, BOEH-  
 „ MERO, Illustris et Generosissimi Viri, D. Consiliarii  
 „ aulici de MADAI, sibi expetiit auxilium, quo vnitis viri-  
 „ bus Magni Viri iactura averti posset. Praecipuum ita-  
 „ que atque indefessum fuit studium nostrum, morbos,  
 „ se inuicem excipientes suspectos, ad artis praecepta et  
 „ conscientiae ductum reuocandi atque ex triplici fonte  
 „ praesidia hauriendi securissima. Felix fuit initium, fe-  
 „ licior quoque progressus, euentus tamen, longo tem-  
 „ poris tractu, quamvis beate Defuncto felicissimus,  
 „ nobis tamen luctuosus. Fallax sane mortalium spes,  
 „ irrita vota, misera fors, omnium expectationi et cona-  
 „ tibus

„tibus medicis illudens. Vidimus enim iniuriis ingra-  
 „vescentibus vimque naturae et vires remediorum su-  
 „perantibus, Optimum Senem ita confectum, vt sub per-  
 „petua vltimis vitae diebus ad fomnum procliuitate, tan-  
 „dem in Calendarum Augusti, cunctis memorabili, circa  
 „horam vespertinam quintam, serenissimo, qui ipsi semper  
 „in deliciis fuit, vultu, fractus quidem viribus, animo  
 „tamen constanti et ad aeternitatem semper composito,  
 „blandissimos inter pias animas reficientes sermones,  
 „atque inter pia vota, sexagesimo et sexto fere aetatis  
 „anno, mortalem vitam placido finiuerit spiritu, auspi-  
 „catus aeternam, atque animam beatam Saluatori suo  
 „reddiderit, famam autem orbi sui que exemplum, in  
 „omnem memoriam apud posteros perennaturum, con-  
 „crediderit.,

Haec ille rectissime. Nostris quidem ex animis num-  
 quam discedet illius optimi atque sanctissimi viri memoria,  
 qui non modo nobiscum tot annis concordissime vixit, neque  
 reliquit quemquam nostrum quocum sibi in gratiam redeun-  
 dum fuisset, sed etiam consilio, virtute, studiis, ornauit et  
 academiam et collegium nostrum; cuius imaginem contuen-  
 tes, quo modo non moueremur tam amabilis viri desiderio?  
 quo modo nobis ipsi probaremur, nisi talis viri exemplo pro-  
 posito ad omnem virtutem eniteremur vigilantius? Vos vero,  
 HUMANISSIMI CIVES, qui eius disciplina vsi aliquem eius  
 pietatis et doctrinae fructum cepistis, omninoque, quicumque

ad religiosam doctrinam vera virtute illustrandam contenditis, non modo beniuolentia et pietate prosequamini viri memoriam, sed eam quoque laudibus, et, quod quemque maxime decet, imitatione ad posteritatem referatis. Neque enim frustra talem nobis virum dedit DEVS, neque vobis ipsi aut rei publicae bene consulētis, nisi tam conspicuum integerrimae virtutis exemplum vel conseruaueretis diutissime, vel latissime propagaueritis. Reddite igitur nobis KNAPPIVM pietate vestra, eiusque vestigiis persequendis efficite, vt, quamquam viri fructum mors nobis eripuisse videtur, tamen quam plurimi superstites sint, qui, eius exemplo incensi, pietatem in DEVM, optime merendi studium, virtutesque vniuersas et ipsi consequantur et aliis acerrimis studiis commendent.







Landesbibliothek  
Mecklenburg-Vorpommern  
Günther Uecker

[http://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn1748209981/phys\\_0028](http://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn1748209981/phys_0028)

**DFG**

ribus medicis illudens. Vidimus enim iniuriis ingra-  
 centibus vimque naturae et vires remediorum su-  
 antibus, Optimum Senem ita confectum, vt sub per-  
 a vltimis vitae diebus ad somnum procliuitate, tan-  
 a III Calendarum Augusti, cunctis memorabili, circa  
 am vespertinam quintam, serenissimo, qui ipsi semper  
 eliciis fuit, vultu, fractus quidem viribus, animo  
 en constanti et ad aeternitatem semper composito,  
 adiffimos inter pias animas reficientes sermones,  
 ae inter pia vota, sexagesimo et sexto fere aetatis  
 o, mortalem vitam placido finiuerit spiritu, auspi-  
 is aeternam, atque animam beatam Saluatori suo  
 diderit, famam autem orbi sui que exemplum, in  
 nem memoriam apud posteros perennaturum, con-  
 diderit.,

ille rectissime. Nostris quidem ex animis num-  
 cedet illius optimi atque sanctissimi viri memoria,  
 nodo nobiscum tot annis concordissime vixit, neque  
 uemquam nostrum quocum sibi in gratiam redeun-  
 et, sed etiam consilio, virtute, studiis, ornauit et  
 n et collegium nostrum; cuius imaginem contuen-  
 modo non moueremur tam amabilis viri desiderio?  
 o nobis ipsi probaremur, nisi talis viri exemplo pro-  
 omnem virtutem eniteremur vigilantius? Vos vero,  
 SSIMI CIVES, qui eius disciplina vsi aliquem eius  
 : doctrinae fructum cepistis, omninoque, quicumque

C 3

ad

